



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.  
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,  
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

**Berti, Giovanni Lorenzo**

**Monachii [u.a.], 1749**

Caput XI. Traduntur nonnulli Canones ad dignoscendum quando  
ignorantia, vel delectatio culpabilis censenda sit, quando verò excusanda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

gratiam sanctæ inspirationis, & dilectionis. At de nat. & gratia cap. xvii. num. 19. solam ignorantiam vincibilem culpandam affirmat: *Quia id homo nescit negligentia sua, quod adhibita diligentia scire debuisset, dum tamen omnia potius disputet, quam ut oret, & dicat, Da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Aliud est enim non curasse scire, quæ negligentia peccata etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari. Aliud intelligere velle, nec posse, & facere contra legem non intelligendo quid fieri velit.* In libro denique Confessionum primo cap. vii. opera, quæ comitantur infantiam appellat peccata, in quantum revera naturali legi, ac lumini rationis repugnant, & sunt confectaria miserrimæ originis, de qua David Ps. l. ait: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Verum negat esse peccata, quæ imputari valeant ad culpam: ita ut reprehenda quidem fuerint in se inspecta, sed nullam promeruerint reprehensionem, quatenus facta à puerulo absque rationis usu operante. *Tunc ergo (inquit) reprehendenda faciebam: sed quia reprehendentem intelligere non poteram, nec mos reprehendi me, nec ratio sinebat.*

19. Hieronymus adversus Pelagianos de-  
 Responsio 5. monstrat plura peccata à nobis per ignorantiam committi, ideoque hoc malum esse nobis insitum vitiatæ generationis origine, neque vitari posse peccatum sine gratia Reparatoris. At frustra Jan-

seniani de sola ignorantia invincibili, & juris naturæ Sanctum Doctorem interpretantur: frustra inferunt per Hieronymum ignorantiam illam non excusare à peccato. Nam ut Pelagianos revincat per Scripturarum spatia discurrens probat dari ignorantia peccata ex cap. xxi. Exodi v. 13. ubi mulctatur exilio, qui occiderit aliquem per ignorantiam absque voluntate, & insidiis. Ex cap. v. Levitici v. 17. ubi præcipitur offerendum esse arietem pro anima, quæ per ignorantiam aliquid immundum tetigerit, & legis caeremonias fuerit prævaricata. Ex cap. xxi. ejusdem libri v. 14. ubi ei, qui per ignorantiam comederit de sanctificatis, mandatur, ut deferat ad Sanctuarium, & det Sacerdoti certam partem ejus, quem ederit cibi. Ex cap. xxxv. num. v. 11. ubi decernuntur civitates refugii pro iis, qui nolentes sanguinem fuderint. Ex i. Regum cap. xiv. 43. ubi Jonathas damnatur à patre, quod gustaverit in summitate virgæ paululum mellis, quamquam paternum mandatum, ac juramentum nesciret. Hæc omnia exempla sunt juris positivi, vel facti, in quibus ignorantia, fatentibus Jansenistis, excusatur à culpa: ideoque certissimum est beatum Hieronymum Pelagianos refellentem universæ ignorantia malum describere, ut commonstret in nobis proclivitatem ad vitia, & supernorum auxiliorum necessitatem. Vide quæ scripsimus lib. xii. cap. 10. & lib. xvi. cap. 2. & seqq.

## C A P U T XI.

Traduntur nonnulli Canones ad dignoscendum quando ignorantia, vel delectatio culpabilis censenda sit, quando verò excusanda.

### S U M M A R I U M.

i. usque ad 10. Canones pro dignoscenda ignorantia.

Canones pro  
 dignoscenda  
 ignorantia.

QUAMQUAM facile ex dictis inferatur quænam officia delectatione, vel ignorantia labefactentur; placet tamen regulas quasdam subicere, quarum lumine dubia quæque moralia circa hanc materiam exorta absque ulla hæsitacione solvantur. Ergo cum ignorantia nihil sit aliud, quam scientiæ & cognitionis defectus, scire autem quis possit aut veritatem quæ nulla ratione ad sempiternam salutem ex se conducit, aut veritatem quæ perutilis quidem est, ut salutem consequamur, sed minime est necessaria; ut denique veritatem, sine

cujus notitia æterna salus est impossibilis; consequitur ignorantiam esse vel rerum ad salutem non pertinentium, vel utilium, vel præscriptarum.

#### CANON I.

Christus nequaquam mortuus est, ut finis philosophi, vel mathematici, neque naturalium scientiarum ornamenta suapte natura ad pietatem religionemque disponunt: quapropter naturalium disciplinarum ignorantia, sive voluntaria sit, sive involuntaria, per se ad culpam non est imputabilis. Quoniam tamen

I.  
 Canon I.

tamen acceptis facultatibus bene uti temur, ad Dei gloriam & honorem debent perſpicacioris ingenio literis, ſcientiſque navare operam, & in humanam ſapientiam animum intendere, non quod iſta ædificet, & cuique ſit neceſſaria, ſed quia virtus in otio torpeſcit, neque reponendus eſt acceptus denarius, contra Commonitionem Evangelicam, in ſudario.

CANON II.

2.  
Canon 2.

Ad capeſſendam ſalutis viam perutilis eſt ſcientia ſacrarum literarum; quippe *inſtruunt ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*, ut Apoſtolus ſcribit in ſecunda ad Timotheum. Ignorantia itaque vel ſacrarum Scripturarum, vel doctrinæ Patrum, vel Theologicarum diſciplinarum non eſt per ſe in unoquoque culpanda, quoniam non omnes tenentur, vel poſſunt media quæque utilia adhibere. At hanc ſcientiam contemnere, & velle perutilem doctrinam ignorare, non eſt abſque peccandi periculo, cum abjiciens utilia minus ſit prudens, atque ſolicitus. Quod ſi de his loquimur, qui miniſterium Eccleſiaſticum, & opus Evangelistarum debent implere, quoniam iis ſacra doctrina non tam eſt utilis, quam neceſſaria, ſi illam addiſcere negligant, habent perverſam, culpandam, & damnabilem ignorantiam.

CANON III.

3.  
Canon 3.

Sunt vero aliqua ſcitu ſingulis neceſſaria, ut legis præcepta, Symbolum Apoſtolicum, præcipua fidei myſteria, & communia Catholicorum rudimenta. Horum ignorantia poteſt in triplici hominum genere reperiri. Quidam ea ſcire nullatenus poſſunt, ut infantes ante uſum rationis, & infideles, quibus Chriſtus nondum eſt annuntiatus: atque in his ignorantia peccatum non eſt, ſed poena peccati originalis. Quidam alii ſcire poſſunt, ſed nolunt, ſubeuntes, ut diximus cap. I. cum D. Thoma, *ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi*; & in his ignorantia peccatum eſt, atque gravitatem peccati, quam minuit ex una parte ignorantia, adauget ex altera perverſitas voluntatis. Quidam ſcire poſſunt, & volunt quodammodo, ſcire tamen negligunt: in quibus ignorantia partim voluntaria eſt, partim involuntaria, ſimulque peccatum & poena peccati; peccatum ob voluntariam negligentiam, poena autem

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

peccati, quoniam aliquatenus diſplicet: atque hæc ignorantia minuit, ſed culpam non tollit, ſive, ut Schola loquitur, *excusat à tanto, ſed non à toto.*

CANON IV.

4.  
Canon 4.

Dupliciter contingere poteſt facti ignorantia, vel adhibita diligentia, aut non iis inſpectis, quæ conſiderari nec debebant, nec poterant, ut dum Jacob ingreſſus eſt ad Liam loco Rachaelis à Labano introductam: vel non adhibita diligentia, nec rebus, quæ attendi poterant, animadvertiſ, ut dum Lamech inter venandum pro fera occidit hominem. Prima igitur ignorantia, cum involuntaria omnino ſit, non eſt aliqua ratione damnabilis; ſed altera; quoniam ex parte voluntaria eſt ob culpabilem indiligentiam, ut liquet ex ſuperiori canone, minuit peccatum, non tollit.

CANON V.

5.  
Canon 5.

Ignorantia autem invincibilis, ſive juris naturæ ſit, ſive poſitivi, vel innata eſt, vel caſu ſuperinducta. Prior, qualis eſt in puero ante uſum rationis, in infideli *negative*, aut in homine nato cum neceſſariis liberi arbitrii impedimentis, ut dementia & furore, poena peccati eſt, non peccatum, & à peccato excuſat, ut diximus canone III. Superinduci autem poteſt adulto jam, & utenti ratione, vel dum dat operam rei licitæ, ut ſi inſaniam ſtudento; vel dum invitus patitur infirmitatem, ut ſi febre deliret; vel libere peccatum patrando, ut ſi vinofus inebrietur. Ac in primo & ſecundo caſu, cum ignorantia involuntaria ſit, excuſat à culpa. In tertio non una eſt Doctorum ſententia: ſed arbitramur hanc ignorantiam, cum ſit per liberam voluntatem ſuperinducta, peccatum eſſe, nec excuſare à peccato quod prævideri debebat, & poterat, excuſare tamen ab illo, ad quod tali ignorantia laborans non potuit animadvertere; nam erga iſtud nullum libertatis intervenit exercitium.

CANON VI.

6.  
Canon 6.

Inter pernicioſas delectationes connumerandi non ſunt motus *naturalis appetitus*, quos non imaginatio gignit, ſed ipſa naturalium qualitatum diſpoſitio cuſusmodi ſunt fames, ſitis, ſomnum. Cum enim hi motus apprehenſionem, rationisque deliberationem præcedant, nullo pacto induere poſſunt moraliſ actus, &

X 2

humana

humani officii naturam, neque inter operationes liberas debent computari. Consequitur autem ut plurimum ad motus naturales alius, quem appellant, *sensitivum*, qui secundum impulsu fomitit tendit in bonum delectabile: atque hunc motum appellant cupiditatem, cujus comes esse potest delectatio perniciofa, si liberum arbitrium insurgentem cupiditatis motum non reprimat.

## CANON VII.

7. *Canon 7.* Motus ergo ille perniciofæ cupiditatis, in quantum homine invito confurgit, & rationem præcedit, est illa lex membrorum repugnans legi mentis, de qua Apostolus; peccatum etiam aliqua ratione appellatur, in quantum est radix mala, infita originali peccato, & ad peccatum alliciens. Verum cum non sit in libera potestate eundem motum non expectari, nequit reputari illud peccatum, quod est *legis inobedientia*, & *transgressio*; quidquid commentus est Bajas merito ob Apostolica Sede proferiptus.

## CANON VIII.

8. *Canon 8.* Ubi vero ad motum *sensitivum* accersit *rationalis*, id est, consequens ad mentis apprehensionem, ac deliberationem rationis, quoniam homo jam non patitur invitus, sed libere delectatur, potest duplici ratione peccare. Vel enim cum advertere possit ejusdem motus pravitatem, illumque refrænare, illi delectatione inhæret suspendendo consensum; & tunc est delectatio, quam dicunt *morosam*; utique mala & culpabilis, quia libere adhæret bono commutabili: vel accedit etiam deliberatus assensus, & tunc peccatum non solum inest, sed etiam regnat, ut scribit Augustinus in Psalmum L. *Inest peccatum, cum delectaris, regnat si consenseris.*

## CANON IX.

Delectari de re licita nullum peccatum est. At curandum sedulo, ne etiam licita delectatio in pravam degeneret; nam, ut idem Augustinus ait lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 20. *Cum non reguntur motus animi nostri, erumpunt & pergunt in fœdissimas consuetudines.* Accidit autem nonnunquam, ut immutatis rerum circumstantiis fiat quod licitum erat, illicitum; ut virilis complexus licitus nuptæ, viro defuncto redditur illicitus viduæ. Peccat ergo ipsa, si de actu præterito Matrimonii delectationem percipiat. Quamquam enim præteritus ille actus fuerit aliquando licitus, delectationem non excitat, ut præteritus est; res enim amissa, ut amissa, non delectat, sed cruciat: ideoque oblectationem parit in quantum menti obversatur, & præsens est; quod servata proportionem tenendum esse arbitramur, de sponsa oblectamentum percipiente de futuro maritali complexu.

## CANON X.

Liquet ex supra disputatis nulli bono commutabili tanquam ultimo fini esse inhærendum, sed rebus creatis utendum esse, fruendum autem Creatore. Delectatio ergo, quam creaturis utendo experimur, dum intendimus præstantioris finis consecutionem, censenda est inculpabilis. Contra si delectamentum rerum creatarum sit nobis ultimus finis, eique inhæreamus animo & voluptate, quemadmodum contingit in iis, qui in temporalibus oblectamentis modum non tenent, quolibet delectatio erit perniciofa. Ideo culpa non caret ipse actus conjugii ob solam voluptatem peracti, & comessatio, epulumque propter luxum, vel satietatem; quomodo rectissime Romani Pontifices declararunt. Atque hæc Regulæ ad ignorantiam, & delectationem pertinentes ex præmissis dissertationibus videntur nobis certissimæ.

## CAPUT XII.

Via sternitur ad gravissimam de Opinione probabili quæstionem præmissis iis, quæ pertinent ad humanam conscientiam discernendam.

## SUMMARIUM.

1. Conscientia probabilis quid sit.
2. Quid sit conscientia comparatæ ad opera facienda.
3. Divisio in conscientiam rectam, & erroneam.
4. Ulterior divisio conscientie in scrupulosam, laxam, Pharisaicam, & cauteriatam.
5. Quoruplex conscientia spectato ipsius iudicii motivo.

In